


Qua incepta, Pontifex, accepta mitra, ihurificat super tabulam in modum crucis, deinde, deposita mitra, dicit :

DESCENDAT, quæsumus Dómine Deus noster, Spíritus tuus sanctus super hoc altáre, qui et dona nostra, et pópuli tui in eo sanctificet, et suméntium corda dignánte emúndet. Per Christum Dóminum nostrum.
R. Amen.

Postremo extergitur tabula per ministros cum panno lineo. Tum Pontifex parat se ad celebrandum si voluerit, vel facit per aliquem Sacerdotem super dictam tabulam consecratam Missam celebrari.

Missæ dicitur ut in Missali, in ipsa die. Dedicationis altaris.

DE COEMETERII BENEDICTIOE.



DIE præcedenti ponuntur in cœmeterio benedicendo quinque lignæ crucis, videlicet una altior in medio, et quatuor aliæ, quælibet ad staturam hominis, quarum una in extremitate cœmeterii ante crucem mediam, alia in alia extremitate cœmeterii retro crucem mediam, tertia in tertia extremitate a dextris, et quarta in quarta extremitate cœmeterii a sinistris crucis mediæ; et ante quamlibet ex dictis quinque crucibus ponitur seu figitur in terram aliquod lignum in ejus summitate aptum ad affigendum illi tres candelas, trium unciarum quamlibet, vel circa; scala super quam ascendens Pontifex possit attingere summitates ipsarum crucum; vas magnum aqua plenum benedicenda; et vas cum sale.

Mane vero Pontifex in sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, mitra simplici, et baculo Pastoralis, accedit cum ministris ad cœmeterium benedicendum, ubi faldistorium ante crucem in medio

